DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-octavâ Februarii, M. DCC. LXII.



M. GUIDONE-ANDREA GARNIER, in insulis Martinicæ & Guadalupiæ, Consiliario Regis Medico, Doctore Medico, Præside.

An Medicinæ Castrensi plurimæ Cautiones, pauciora Remedia?

I.



UT non ubique eadem hominum vita, sic & non ubique eadem Medicina. Tam varia enim est hujus ab illius discrimine Ratio, tam multiplex pro diverso loci, temporis, sexûs, ætatis & temperamenti respectu, tam innumera sanitatis & morbi conditio, ut sivè sit illa recuperanda aut conservanda, sive sit curandus aut palliandus iste, non uno, nec simplici, sed in infinitum penè mutabili more opitulari semper debeat Medicus. Hinc *Ars longa* rectè dicitur, quæ jam tot retrò sæculis exculta, tot immensis evoluta laboribus, tot experientiis aucta, inconcussis etiamnùm comperta principiis, nedùm terminatâ consistat legum epitome, novâ semper & inexhaustâ rerum accessione, increscere quasi quotidie videtur: Adeò multâ semper & semper instabili ratione constat. Procul igitur omnes & nefasti ordinis Medicastri, qui nullâ factâ rerum distinctione, adoptatis tantùm hinc & indè qualibuscumque remediorum præscriptionibus, familiarem quamdam & immutabilem sibi Medicinam asciscunt, nec minùs ad hominum perniciem, quàm ad artis opprobrium, errores pessimos, nè dicam lethales, in morborum tractatione delinquunt. Liceat ipsis quisquiliarum simplicitatem triumphare, una Medicum decet recti cupido, unum hunc juvat veritatis studium, nec terret labor, nec frangit difficultas: Officii siquidem amplitudinis probè conscius, omnes morborum & naturæ vices, indefessim quantùmque est in humanâ mente vestigat, cunctas perpendit causarum varietates, & sic prò singulâ cujusque differentiâ, congruam prophylaxim accommodatam-ve therapeiam impendit. Æquabili & nos existimatione ducti

variandam æſtimantes pro temporibus & locis medicinam, quæ bello, quæ caſtris obſervanda ſit, præſenti diſputatione proponimus, non nulla ſubjiciendo quæ nos aliquantula docuit experientia.

Etſi præ dirâ hominum ſævitiâ, ad immenſum ferè prolatentur bellica armorum & fulminum præſidia, quibus Ars ſe ſe enecandi hodierna perficitur, non tamen hæc tam multas, tam crebras ſtrages edunt, quàm qui exercitibus ingruunt morbi, cùm non debitis præcaventur aut curantur cautionibus. Bellantium igitur non minùs intereſt probus & expertæ induſtriæ Medicus, qui ſævas arceat morborum contagiones, quàm ſtrenuus imperio ductor, qui ab hoſtium formidine deffendat. Quin ut ipſa divi ſenis verba proferam, (a) *Quodnam ſubſidium male habenti exercitui potius fuerit quam Medicus?* Aſt non certè leve huic negotium, cui tantò major requiritur rerum cognitio, tantò ſolertior in ſcrutando ſagacitas, tantò vigilantior in agendo diligentia, quod multis ſimul & occultè conſpirantibus undequâque cauſis, cautus ſemper reſponſare debeat. Quot enim ab aëris depravationibus affectiones? Quot ab improbâ victûs qualitate, quot à nimiis defatigationibus, quot ab immodicis vigiliis, quot à ſubitis rerum mutationibus, quot ab ipſis animi pathematis, quanta demum à frequentibus & ſpiſſis hominum contuberniis, morborum agmina, quæ infeſtiſſimâ ſœpè clade prorumpunt, ſi non ociùs & opportunè avertantur? Huic ideò non tantùm incumbere debet Medicus, ut præſentia mala debellentur, quæ non ſinè magnâ ſœpè depopulatione contingunt, ſed etiam ut tam multis obverſantibus morborum cauſis, certæ quædam adhibeantur obſiſtendi rationes, quibus tuta firmentur militum corpora & in ſuâ quantùm fieri poteſt incolumitate perſiſtant. Nec verò huic præſtando ſufficit, ſi non prò meritis captatâ omnium fiduciâ, eò exercitûs ducum, ipſiùſque imperatoris animos ſibi devincat, ut quod ipſe conſilio ad hominum ſalutem, iſti prò ſuâ quiſque authoritate decernant.

(a) Hipp. Op. ſect. VIII.

I.

UT ut inter ſe diſſident ſanitatis & vitæ pericula quibus obnoxii vivunt qui caſtra ſequuntur, in hoc potiſſimùm ſæpè conveniunt quod nativum debilitando corporis robur, ipſamque conturbando fluidorum mixtionem, ferè ſemper aliquam humorum Sepſim accerſant; Dicimus aliquam, ne fortè totalem intelligere audiamur, quæ nunquam niſi cùm comitante morte obrepit. Ut autem abſit verbis ambiguitas, Sepſim aut Putredinem vocamus motum quemdam fermentatorium, quo mediante principia corporis cujuſlibet, priſtinâ ſuâ commixtione ſolvuntur, reſiduo manente alkalino volatili. Porrò maximum illius concitamentum & vehiculum eſt Aër qui raro æquabili temperie conſiſtens, rarò etiam errabundis innocuus evadit; vel enim nimiâ ſiccitate exſorbet, vel inaſſuetâ frigiditate ſtringit, ut ſi non ſemper, ſaltem quandoque, arefacto aut rigidiori fibrarum elatere, vaſculis maximè

coarctentur humores, proindeque ad infarctus & dyscrasiam vergant. Magis autem & sæpiùs nocet humidus, qui laxatâ corporis compage, tantam inde præstat partibus torpedinem, ut fluida impari aut nullâ elaborata actione, non nisi stagnationes & certas sui dissolutiones patiantur. Sed omnium infestissimus est Aër calidus, qui prò intenso suo ardore exiliores fluidioresque dissipando sanguinis partes, ipsum quasi siccat, exhaurit & difficilè meabilem reddit, sin quod adhuc pejus est, australibus etiam ventis comitatus, (*a*) & humido insuper vapore refertus, subitâ maceratione aut inquinatione inficit. Præterquàm enim aër, calor & humiditas simul conjuncta, certa & sola sunt putredinis concitamenta, nemini non est compertum, temporibus & locis humidis simul & æstuantibus, maximas fieri uberrimasque corporum omnigenorum, tùm saniorum cùm putrescentium exhalationes, quæ liquidum in aërem sublatæ, novoque ibi motu sibi invicem commixtæ, putridam semper plùs minùsve naturam referunt, millena morborum fermenta producunt, & sic tantùm luis ubiquàque spargunt quantùm nebulosis temporibus, maximè occidente die, aut nullo aspirante sole decidunt. *Certè putrefactio vera corporum*, inquit Boerhaavius, (*b*) *vix aliâ causâ promovetur magis quàm calidi aeris humiditate, quæ brevissimo temporis spatio, penitùs in tabum putrefactum corpora eò disposita resolvit*, &c.

(*a*) Hipp. Epid. lib. II. & III.

(*b*) Elem. chem. T. I. p. 258.

Atque ea vis omnis morborum, pestilitasque,
Aut extrinsecùs, ut nubes nebulæque supernè,
Per cœlum veniunt, aut ipsâ sæpe coorta,
De terrâ surgunt, ubi putrorem humida nacta est,
Intempestivis pluviisque & solibus icta.

Lucret. de rerum naturâ, Lib. VI.

Et si insuper inassuetam aëris temperiem attendamus,

Nonne vides etiam cœli novitate & aquarum;
Tentari, procul à patriâ quicumque domoque,
Adveniunt, ideo quià longè discrepat aër. *Ibidem*.

Quantæcumque verò sint quæ ab aëre insidiantur causæ, iis certè proximè accedit, quæ à pravâ cibi & potùs conditione oritur, in quantùm vel malè humoribus inquilinis assimilati, vel vitiatâ quadam indole affecti, chylum impurum, fecinum efformant, qui facili suâ sponte putrescit. *Partes enim redundantes quot quot non convertuntur in sanguinem & in membris remanent, putrescunt; undè fit ut tandem generetur anthrax pestilens, variolæ*, &c. (c) Singulare hujus veritatis exemplum prostat in Secalauniâ, quæ cum maximâ semper secalium segete abundet, nonnulla interdùm adeò corrupta producit, ut à longâ eorum comestione, partes aut membra coporis, nasus scilicet, digitus, pes, manus-ve subortâ gangrenâ sæpissimè collabantur, nullâ præcedente febri aut inflam-

(*c*) Galen. de usu memb. Tract. IX.

matione, sed prævio tantùm tumore quodam dolente. (*d*) Nec parùm etiam faciunt defatigationes, vigiliæ, quæ labefactato inprimìs solidorum systemate, brevì totam œconomiam animalem diruunt, ut nullâ amplius vi, nullo organico robore constans, obvium quemque morbum faciliter admittat: Mutatio autem subita à consuetis in nova, vix non est semper periculosa, quæ contractam vitæ consuetudinem subitò pervertens, insitam corpori idiosyncrasiam, (*e*) necessariò perturbat & ad morbum disponit. Anxiæ præterea & multæ sunt animi affectiones à quibus proximum sæpè imminet vitæ periculum, proùt infirmato cerebri tenore, magìs minùs-vè afficiuntur aut exinaniuntur nervi, læduntur functiones & impeditur nutritio. Sed hæc etiam omnia vix epidemiis ansam darent, si non insuper adesset maxima contagii ratio, quâ scilicet, contuberniorum causâ, (*f*) coacervatìm ut plurimùm collecti milites, cazulis, tentoriis, navibus, nosocomiis-vè aut carceribus interclusum aërem, tetrâ excrementorum perspiratione corrumpunt, & sic ut ut pauci ægrescunt, viâ anhelationis non minùs quam contactûs, suos sæpè contubernales ingenitâ sibi lue infestant. Patet itaque ex putrefactione præcipuam deducendam esse, morborum castrensium Æthiologiam, adeòque potissimam eam esse Medici Castrensis operam, ut apprimè noscat quâ causâ, quo modo, quâ tandem diversâ facie generetur tanta illa malorum labes, ut ipsam possit optimâ ratione debellare; sed cum ea vix forent longissimâ tractatione discutienda, paucis tantùm, rem aggrediemur.

III.

NÆ toto cœlo errant illi qui Alkalina volatilia tanquàm proximam putredinis causam agnoscunt, cùm huic illa maximè adversentur. Non sunt enim putrida quæ putredini residua super sunt, sed quæ in ipso adhuc putredinis motu versantur; talia sunt, quæ Alkalescentia potiùs dixerim, corporum putrescentium miasmata, quæ si per cutis poros aut pulmonum inspirationem, nudo sanguini quantulumcùmque immisceantur, brevì tota ejus massa gradariâ fermentatione corripitur, tumescit moles, vasa distenduntur, crebrescit pulsus, *minimâ tandem scintillâ in latè depopulans crescit incendium*, (*a*) & sic ipsa sæpissimè suscitatur febris, quæ pro majori aut minori luxuriantis fermenti pollentiâ, pro tali vel tali fibrarum dispositione, graviùs aut leviùs afficit, sævit exacerbatur, usquedùm humores, vel fœlici naturæ molimine defecentur; vel solutâ partium integritate putrescant. Hujùs verò proximæ fermentationis diagnosim non malè perhibent nauseæ, vomituritiones, cardialgiæ, pandiculationes, corporis anxietas, torpor, capitis gravitas, sitis magna, oculorum dejectio, pulsûs inæqualitas, tanta demùm animi viriumque defectio, ut soluta penitùs vitæ claustra diceres, si non vividiora mox surgerent symptomata, quibus tandem proprius elucescit morbi genius, adeòque vel Febris prodit diversimoda, vel Plevritis, vel Angina, vel Scorbutus, vel Cholera, vel Diarrhæa, vel Dysenteria,

(*d*) *Vid.* Comment. Acad. Scient. Paris. anno, 1676. *Lettre de M. Dodart, sur le bled ergoté.*

(*e*) Boheraav. Inst. it.

(*f*) Pringle, *Maladies des Arm. 2e. part. Chap. II.* Strack tent. Med. de dysenteriâ, p. 18.

(*a*) Boerhaarv. de hon. Med. serv. orat.

vel Morbilli, vel Variolæ, vel Peſtis, vel alia etiam quælibet ſpecialis aut anomala corporis affectio, prout variè variis partibus diſpertitur aut compingitur fermentum.

Quandoquidem iſtæ Epidemiarum ſpecies nil aliud ſunt quam totidem Septicæ Luis ſchemata, ut omnes fermè notant, qui de illis ſcripſerunt Authores, (*b*) non alia iis videtur impendenda eſſe Medicina quàm quæ ab Antiſepticis deſumitur. Hæc verò non tam in remediis quàm in multiplici prophylaxeos ratione conſiſtit, quippè quæ, pro omnibus & ſingulis cauſarum varietatibus, diverſas exigit permultaſque cautiones quas prout à variis hygiaſticis & præcipuè Clariſſimo *Pringle* (*c*) optimè recenſitas, enumerare hic conſultò omittimus, ne coctam quaſi crambem recoquere videamur. Illud tamen per tranſennam annotare licebit, nullâ aliâ meliùs arte præcaveri aut minui contagionem, quàm munditie magnâ, ſimplici victu, putrium carnium abſtinentiâ, frequentibus caſtrorum mutationibus, ventilatis, rarèfactis, quantùm fieri poteſt, contuberniis & ſedulò adhibitâ attentione ut ſiccis, puris, ſpatioſiſque locis ſtabiliantur noſocomia, atque accuratè inhumentur tum hominum cùm brutorum quorumcumque cadavera. Præ cœteris autem maximè commendandi veniunt cibi potuſque aciduli, aliique antiſeptici, ut ſunt, Cœpa, Allium, Daucus Sativus, Apiumdulce, Braſſica, Napus, Liquores Ardentes, Vinum, Acetum, &c. (*d*) quæ prò ſuâ quâ pollent ſtimulandi virtute, laxam roborant fibrarum compagem, indèque tàm certò putridæ diſpoſitioni obſiſtunt, tàm neceſſarium præſtant corpori tutamentum, ut ex unanimi medicorum ſententiâ (*e*), vix ſine aliquo eorum uſu, tuta contagio evadat & evadere poſſit ſanitas. Nec poſſumus Clariſſimo *Mead* non refragari, cùm improbat (*f*) uſitatam vulgò, ab ipſoque Hippocrate commendatam, conſuetudinem, peſtilentialibus contagiis, ignes aperto aëre accendere, ut putrida emendetur atmoſphæræ conſtitutio. Hâc enim ratione non modo aër rarefactus paſſim agitatur & renovatur, ſed quâtenus eſt calefactus, etiam exſiccatur, & ſic ſuâ quâ nocet humiditate & impurâ colluvie repurgatur. Non igitur benè momentoſa videtur ratio, quâ citatus author ab aucto calore periculum inducit. (*g*) Verùm frequentioris ſunt utilitatis vapores acidi quicumque, ut v. g. vapor aceti ſuprà ferrum candens injecti, fumus pulveris ſulphurati, vel etiam ipſius ſulphuris combuſti, ut idem commendat *Mead.* (*h*) Sed ut hæc omnia corpus à putredine eripiant non tamen ab anxio animi pathemate deffendunt; ſunt quippè multi imbelles & novi in arte milites, qui, vel timidâ animi propenſione, vel ſollicito patriæ deſiderio itâ moleſtantur, ut præcipuè flagrante bello, in morbos peſſimos ſœpiſſimè incidant, quorum funeſtiſſimus & frequentiſſimus eſt ille quem Noſtalgiam aut Pothopatridalgiam (*i*) vocant, cujus ſymptomata, etiamſi non ſemper eodem typo perſiſtant, eo tamen conveniunt effectu, quod corpus brevi colliquatione aut tabe con-

(*b*) Pringle, *Maladies des armées.* Strack tentam. Medic. de dyſent. Degner. de dyſent. bilioſo-contagioſâ. Mead tract. de peſte. Rhaſis de var. & morb. Sydenh. de morbis epid. Allion. de miliar.

(*c*) *Mal. des armées, deuxiéme partie, chap. III.*

(*d*) Pringle, *Traité des ſubſtances ſeptiq. & antiſeptiq.*

(*e*) Pringle, Strack, Degner, Mead, Sydenh. Rhaſis, Allion. Boerhaav. locis jam citatis. Pottius, *lib. aliàs ineptiſſimo*, de militum ſanitate tuendâ.

(*f*) Tract. de peſte 275.

(*g*) Ibid.

(*h*) Eodem tract. p. 277.

(*i*) Svinger. faſcic. diſſert.

ficiant. Nec huic & cœteris ullam comperimus esse prophylaxim, nisi in attentâ ducum curâ, quâ caveant ne, præter belli incommoda, etiam aliunde anxientur milites & sic præ dirâ mentis ægritudine, ineluctabili tandem corporis labe concidant.

I V.

QUANTO autem plura requiruntur adversùs luem septicam præsidia, tantò pauciora exiguntur ad ejus curationem Remedia. Ubi enim sanguini irrepsit Virus Septicum, id unum videtur Natura intendere, ut inquinati humores perfectâ coctione defecentur, & quà facilior patet egressus, fœculenta eliminentur. Ast cùm meatus intestinalis omnium sit ferè sordium communis quasi sentina, quà veluti exsugitur quidquid est corpori noxium, hic duplex artis scopus esse debet, ut æquo tenore foveatur vis fibrarum, quà subigi possit lues, & ut expeditæ teneantur imò provocentur alvi excretiones, quibus liber ejiciendis patefiat exitus. Huic autem primo conveniunt Antiseptica vulgò dicta, inter quæ potissimum præstant Acida; Amara, Salia neutra, Aromata, Camphora, Vinum, Spiritus, Kinakina, & quæcumque Antiscorbuticorum nomine decantantur. (*a*) Secundo autem optimè sufficiunt Purgantia salina aut amara, vel sola, vel cùm Vomitoriis intermixtè aut alternatìm adhibita, ut se fœlicissimo usu expertum fuisse tradit clarissimus *Strack* in luculentissimo suo tractatu de dysenteriâ: quanquàm verò sint illa adversùs morbos septicos generaliter efficacia, non tamen singulis æqualiter conveniunt; alii siquidem dantur quibus leviora, alii quibus vehementiora congruunt, proindèque tot requiruntur Antisepticæ virtutis gradus, quot diversæ numerantur illorum species. Non sunt igitur indiscretìm & confusè usitanda, quæ hic promiscuè suademus medicamina, sed sunt usu probata, congrua symptomatis, sincera, simplicia semper eligenda, quæ præsentem morbi indicationem tutò explere videantur. Miserandæ enim tot simplicium connexiones & confusæ miscellaneæ, proditrices ignorantiæ & incertitudinis, (*b*) quæ nullum ritè modum, nullam distinctè rationem sequuntur. Suppetit itaque pauca, sed certa certis naturæ signis auxilia ministrare, quibus tutò citòque subigatur & expellatur virus. Inter hæc verò signa maximè attendenda sunt, quæ medico veram agendi rationem perhibent, ut sunt quæ vulgò in morbis acutis properandam esse Catharsim designant, lingua scilicet viridis aut biliosa, ut loquitur Hippocrates, & pulsus intermittens. *Lingua per modum vaporis affecta* inquit Ballonius, (*c*) *purgationem vacuationem que postulat.* & aliàs, (*d*) *videmus sæpè in principiis morborum, & pulsùs intermissionem & inæqualitatem summam, & tamen audacter purgatio instituitur .... ab oppressione potiùs est ea infirmitas, proindèque natura deoneranda est, ut recreari possit.* Hoc idem etiam annotavit *Ferrein* teste *Nihell.* (*e*) Cætera signa, brevitatis ergò mittimus, quæ tamen eo minùs sunt contemnenda, quòd

(*a*) Pringle, *Traité des substanc. sept. & antisept.*

(*b*) Helmont. dispens. modern.

(*c*) Epidem. & ephem. lib. II in constit. æst. ann. 1575.

(*d*) Id. const. autumn. ann. 1577.

(*e*) *Observations nouvelles & extraordinaires sur la prédiction des Crises.* p. 92.

coctionum crisiumque tempora vices & eventus præsignando, prudentem medicum semper dirigere debent, ut fidelis minister, nihil nisi imperante naturâ moliatur, aut ipsam molientem, nullâ inconsultâ præcipitatione interturbet.

Venæ sectionem tametsi tacemus, ut morbis septicis minùs tempestivam, non negamus tamen quandoque ita præsentis esse efficaciæ, ut in illâ tota versetur salutis cardo. Nec cuiquam ignotum esse putamus ipsam raró aut frequenter, parcè aut largiter esse instituendam, pro leviori aut fortiori movendorum resistentiâ, virium validitate, symptomatum vehementiâ. Idem de cæteris remediis, eorum usu, ratione, cautelâ. &c. *Propiùs eundo, adaptationes causarum ubique dant indagantibus intellectum, ignaris autem neglectum.* (*f*). (*f*) Helmont Eudem.

Quoad morbosos animi affectus, unum duntaxat & promptum mihi videtur esse remedium in plenâ ægrorum desideriis obtemperatione, nec parùm juvat, tùm in istis, cùm in aliis morbis magna & singularis ergà ægros humanitas, quæ aliunde tantò magis est medico necessaria, quòd sinè illà mancus est & exosus, nec ullam planè fiduciam meretur. *Qui enim ergâ homines humanum se exhibuerit*, inquit Hippocrates, (*g*) *is artis amore teneri censetur.* (*g*) Section I.

V.

HÆC sunt, quæ ad Morborum Castrensium Epidemicam Constitutionem decernunt, ratio, usus & authoritas; alios prætermittimus qui merè adventitii tanquam castrenses propriè reputari non possunt, nec indè ad nostrum propositum pertinent; non nunquam tamen evenit, ut illi adventitii etiamque benigniores morbi, deterrimis contagiis ansam præbeant. Dico enim & repeto, semper adest exercitibus nec facilè emendabilis contuberniorum ratio, quà unus aut alter ægrescens miles, pauco tempore potest calefactum aliundè, aut occlusum aerem fœtentibus corporis excrementorum-vè effluviis adulterare, ut hac viâ dispergatur morbus, qui sæpè a primigenio diversus nascens, diversus iterum crescit, subrepit, usquedùm sensim increbrescendo, pestili tandem & epidemicâ naturâ consistat. Hinc videre est, quare in epidemicis constitutionibus omnes morbi acuti, ferè semper grassantis epidemiæ naturam sumant. imò non raró videmus putrefactionem ipsam subito casu accidere sinè manifestâ & apparente causâ. Erat Adjacii dum ibi degebam, Helvetus quidam miles, juvenis, robustus, qui septimâ ab invasione febris continuæ interibat, nullâ factâ prorsùs in habitu corporis alteratione; postridie mortis cum detegeretur Cadaver, teterrimam & gangrænosam exhalavit mephitim, quæ ita intolerabilis erat, ut illud protinùs in apertum campum transferri jusserim, quò minùs explorantes nos inficeret putor. Verè toto erat sui dissimile corpus, ità enim flatibus intumuerat, ut duplo major videretur ejus moles; naribus, ore, auribus emanabat sanguis; unus erat toto corpore lividus & nigricans

color, ab ingenti vaſorum cutaneorum dilatatione, nuſquàm cuti ſua inhærebat cuticula, ſed paſſim dehiſcebat, paſſim ampullas efformabat liquido ſanguine turgentes. Verbo, ubique flatus, fœtor & gangræna, ſi viſcera excipias, inter quæ molle exſuctumque præter modum erat Cor, cœtera ſicut & vaſa ampliora etiamſi aliundè ſana, ita erant ſanguine orbata, ut ipſa aqua cui immergebantur & exprimebantur nullo modo tincta foret, adeò totus ad circumferentiam proſiliiſſe videbatur Cruor. Nuſquàm vidi tam promptos, tam ſingulares putrefactionis effectus, ſed licet putredini tanquam maximæ contagiorum cauſæ cavere intendamus, nolumus tamen hanc ab omni naturæ negotio indiſcriminatìm expellere, aliqua ſiquidem eſt, quæ ad vitæ & ſanitatis conſervationem maximè requiritur; talis eſt quæ diſſimilia longè corpora ad noſtram nutritionem vertit, humoribus noſtris aſſimilat, & rejectis omnibus quæ minùs benè naturæ noſtræ conveniunt, cœtera in propriam corporis ſubſtantiam convertit. (a) Aſt hæc prout nobis inquilina, imperfecta, exigua, (b) nec in nudo ſanguine, ſed in canali inteſtinali confecta, ubì facilis patet fœcibus excretio, ſi regulatìm perficiatur, ne dùm noceat, corpus reficit & conſervat; cùm econtrà, ſi nobis ab aliundè provenit & ſanguini nudo ſubrepit, peſſimos ſemper concitat effectus, uti caſtris nimio plus evenire liquet, ubì hoſtium hoſtis infenſiſſima, tam multo, tam frequenti agmine inſidiatur Sepſis, ut brevì maximos depopuletur Exercitus, ſi non tam diverſâ cautione, quàm ſpecifico medicamine expugnetur.

(a) Boerhaav. Elem. Chem. T. II. pag. 183. Pringle, *Traité des ſubſtanc. ſept. & antiſept.* pag. 200.

(b) Combaluſier pneumatopath. p. 85.

Ergò Medicinæ Caſtrenſi, plurimæ Cautiones, pauciora Remedia.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus-Auguſtus Adet.	*M. Carolus-Franciſcus Theroulde de Vallun, Eques.*	*M. Antonius le Camus, Academiarum Regiarum Rupellenſis & Ambianenſis, nec non Societatis Litterariæ Catalaunenſis Socius.*
M. Jacobus Barbeu du Bourg, Regiæ Scientiarum Academiæ Stokolmienſis & Societatis Regiæ Monſpelienſis Socius.	*M. Anna-Carolus Lorry.*	*M. Petrus Arcelin.*
M. Joannes-Jacobus Meſſence, Rei herbariæ Profeſſor deſignatus.	*M. Bernardus-Nicolaus Bertrand.*	*M. Petrus Chevalier.*

Proponebat Pariſiis SIMON VACHER, Biſuntinus, in Univerſitate Biſuntinâ Doctor Medicus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, nec non exercitûs Regii in Inſulâ Corſicâ nuper Medicus, Theſeos Auctor. A. R. S. H. 1762. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1762.